

strationi bonorum temporalium dicitur cellularius, quasi præses cellularum. In cellulis aderat oratorium.

Tandem Episcopus quoad clausuram visitat jurisdictione ordinaria monasteria monialium sibi subjecta, tamquam Sedis Apostolicæ delegatus exempta et etiam subjecta capitibus ordinum regularium *c. 5. sess. 25. De Reg. in Tridentino.*

22. Ad complendam vero hanc materiam, observamus 1º. scopum visitationis esse sanam doctrinam, pulsus hæresibus, inducere, bonos mores tueri, malos corrigere, populum cohortationibus ad religionem, pacem et innocentiam accendere; *c. 3. sess. 24. De Ref.* 2º. Ex *c. 10. sess. 24. De Ref.* habemus Episcopum in iis quæ ad visitationem et correctionem morum pertinent jus et potestatem habere etiam tamquam Sedis Apostolicæ delegatum, ea omnia ordinandi, moderandi, puniendi et exequendi juxta canonum sanctionem, quæ illi necessaria videbuntur pro sua prudentia et emendatione subditorum, nec decreta Episcopi hac in re posse ullo modo etiam per appellationem ad Sedem Apostolicam suspendi aut executionem impediri.

#### TITULUS XL.

#### De consecratione ecclesiæ vel altaris.

1. Nomine Ecclesiæ in titulo venit ædes vel domus cultui divino deputata in qua fideles conveniunt ad ipsum cultum præstandum. Altare est sedes seu locus in quo sacrificium offertur. Aliud est fixum, aliud portatile. Fixum est quod consecratur tamquam adhærens suæ basi, portatile quod consecratur distincte et absque relatione ad basim. Hinc de loco ad locum asportari potest. 1º. De consecratione Ecclesiæ; 2º. de consecratione altaris. Consecratio Ecclesiæ definitur: 'Dedicatio solemnitas Ecclesiæ ad honorem Dei facta, a legitimo Ministro per unctionem chrismatis, et præscriptam verborum formam cum intentione canonica'. Ecclesia ad fidelium pietatem excitandam ritus quosdam instituit qui appellantur sacramentalia, et eo diriguntur ut ex opere operantis fidelibus producant divinam gratiam. Ritus consecrationis Ecclesiæ institutus est ad imitationem Sacramenti ordinis. Hinc consecratio dicitur esse actus ordinis, at eo sensu quia ex institutione Ecclesiæ sacer minister dedicans cultui divino locum imitatur consecrationem personæ in sacra ordinatione. Quare etiam dicitur in consecratione

adesse intentio canonica seu intentio ministri deputandi locum ad cultum divinum juxta Ecclesiæ institutionem.

2. Differt consecratio a benedictione. Hæc enim fit cum aqua lustrali in pavimento certis adhibitis precibus, et committi potest etiam presbyteris, dum consecratio chrismatis unctione fit, et minister validæ consecrationis est solus Episcopus, et quidem ut licita sit, debet fieri ab Episcopo ordinario loci, qui potest alteri Episcopo munus consecrandi Ecclesiam committere *c. 9. h. t.* At extraneus Episcopus, si irrequisito Episcopo loci, consecrat Ecclesiam suspenditur ab usu pontificalium *c. 5. sess. 6. De Ref. et 2. sess. 14. De Ref.* Necnon cessare debet per annum a celebratione Missarum *can. 28. c. 7. q. 1.* Hæc pœna suspensionis a celebr. missæ renovata non est in *Const. Apostolicæ Sedis.*

3. Presbyter vero solum ex privilegio Pontificis potest consecrationem Ecclesiæ perficere. Quod et videmus concessum a Paulo III. atque Pio IV. Abb. Ludovico, et successoribus ejus in Monasterio Eingildensi quoadusque certæ rerum circumstantiæ manerent.

4. Ritus consecrationis Ecclesiæ in Pontificali Romano præscribitur, cujus ritus pars essentialis est ut liniantur sacro chrismate duodecim cruces in pariete Ecclesiæ insculptæ vel depictæ et forma verborum proferatur. De præcepto est ut Episcopus consecrans etiam missam celebret, et ob rationabilem causam fieri potest ut alius pro consecrante celebret. Episcopus antequam procedat ad consecrationem debet certior fieri de sufficienti dote Ecclesiæ *c. 8. h. t.* In quo etiam Regi Hungariæ imponitur onus dotandi Ecclesiam quam fecerat consecrare. Immo ex *c. 9. De donat.* deducitur ipsum Episcopum consecrantem, qui sciat Ecclesiam esse absque dote teneri ad eam dotandam. Ecclesia consecrari potest quoties de novo erigitur vel quoties ex certis documentis non potest probari eam fuisse consecratam *c. 16. et can. 18. De consecr. dist. 1.* At si certo est consecrata, non potest iterum consecrari nisi antea fuerit execrata *can. 20. De consecr. dist. 1.*

5. Ratio est, quia consecratio a sacris canonibus censetur velut adhærere parietibus Ecclesiæ ad similitudinem characteris qui animæ fidelis consecrati imprimitur. Execratur autem Ecclesia quoties parietes vel totaliter, vel majori ex parte simul et non successive destructæ denuo construuntur. Pariter si parietes interiores ex toto vel majori parte sint igni simul et non successive exustæ, et devastatæ vel abrasæ licet non corruant *c. 20. De consecrat.*

*dist. 1.* Idem dicendum si parietes in longitudine, latitudine vel altitudine pro majori parte ampliuntur. Nam post hanc constructionem antiqua cessasse et nova Ecclesia quodammodo constructa censetur. Non iteratur vero consecratio si vastetur pavementum vel lamina aut tectum decidet et renovetur *c. 6. h. t.* Nam consecratio censetur parietibus adhærere.

6. Præter casum execrationis Ecclesiæ, seu amissionis consecrationis et novæ consecrationis considerant sacri canones casum pollutionis et violationis Ecclesiæ. Dicitur polluta et violata Ecclesia cum in ea ponantur actiones manifestæ, et adeo turpes vel indecentes ut censeatur injuria illata fuisse loco sacro, et indignus reputetur cultus divini celebratione. Quod manifesta seu publica debeat esse actio ad violandam Ecclesiam patet ex eo quod Ecclesia ob actionem indigna redditur cultu sacro ex fidelium æstimatione, ex opinione communi.

Polluitur vero Ecclesia 1º. ex *c. 4. h. t.* et *c. un. h. t. in 6º.* per voluntariam et graviter culpabilem effusionem sanguinis in Ecclesia causatam seu ex vulnere in ipsa Ecclesia inficto; 2º. per homicidium voluntarium et injuriosum *can. 19. De consecr. dist. 1.* et *c. 4. h. t.*; 3º. ex *c. 4. et un. h. t. in 6º.* per voluntariam et illicitam seminis humani effusionem, sive simplici pollutione id fiat, vel fornicatione aut adulterio, sodomia etc.; 4º. si in Ecclesia sepeliatur excommunicatus vitandus, vel hæreticus notorius aut non baptizatus ex *tit. De sepulturis.*

7. Animadvertendum est iisdem modis quibus Ecclesia polluitur, pollui etiam cœmeterium, immo ex *c. un. h. t. in 6º.* habemus, polluta Ecclesia, censeri etiam violatum cœmeterium unitum Ecclesiæ non viceversa. Ecclesia non violatur ex aliis criminibus licet sint graviora et violantur solum Ecclesiæ consecratæ vel benedictæ, non vero oratoria in quibus ex privilegio Missa celebratur. Nam strictæ interpretationis res est.

8. Principalis effectus violationis Ecclesiæ est ut sub pœna peccati lethalis non vero irregularitatis prohibeatur in Ecclesia polluta administratio sacramentorum, custodia Ecclesiæ, celebratio divinatorum officiorum. Immo si polluat Ecclesia tempore Missæ nec canon inceptus est, Missa continuari nequit. Ita *Rubrica missalis in tit. De defectib. in Ministerio ipso occurrentibus.*

9. Ecclesia polluta debet reconciliari protinus ait *c. ult. h. t.* Reconciliatio fit adhibitis ritibus in Pontificali descriptis; eaque

fit ab Episcopo si Ecclesia polluta erat consecrata *c. 9. h. t.* nec potest committi simplici presbytero. Si autem fuerat solummodo benedicta, reconciliatio fit a simplici sacerdote, nulla etiam expostulata venia ab Episcopo ex textu claro *c. ult. h. t.*

#### De consecratione altaris.

10. Ex *can. 21. de Consecr. Dist. 1.* habemus: 'Altaria si non fuerint lapidea non consecrantur'. Hinc altare debet esse lapideum saltem in parte superiori in qua ponitur hostia cum calice quemadmodum desumitur ex *rubrica Miss. XX. De præp. altar.* ubi dicitur 'vel saltem ara lapidea similiter ab Episcopo consecrata et in eo inserta. Ara lapidea debet continere hostiam, et majorem saltem partem calicis' *ead. rubr. Miss.* Unde non minor uno palmo. Altaria consecrat solus Episcopus nec simplici sacerdoti potest consecrationem committere nisi solus Romanus Pontifex *arg. c. 3. h. t.*

11. Quod de consecratione altaris dictum est etiam dici debet de consecratione calicis et patenæ quæ nempe a solo Episcopo perfici potest. Idem pariter dicendum de benedictione campanarum. Ratio est quia intervenit unctio et fit per modum consecrationis. Qui ritus a sacris canonibus reputatur actus ordinis episcopalis in sensu superius exposito.

12. Pariter paramenta et vestes ad Missam pertinentes benedicuntur ab Episcopo. At ita reservatur Episcopo benedictio, ut facile ex rationabili causa facultatem benedicendi concedere ipse possit etiam simplici sacerdoti. Valida consecratio iterari nequit, quia censetur altare retinere consecrationem donec excretur.

13. Execratur autem altare seu amittit consecrationem 1º. per fractionem lapidis superioris seu diminutionem substantialem ejusdem; *c. 1. et 3. h. t.* 2º. Si frangatur aut removeatur sigillum seu parvus ille lapis qui superpositus custodit reliquias sanctorum *arg. c. 1. h. t.* 3º. Si altare sit fixum idest consecratum seu adhærens basi amittit consecrationem si lapis seu tabula superior amoveatur *c. 3. h. t.*

14. De privilegio altaris portatilis. Privilegium hoc in eo consistit ut quis extra locum benedictum, vel oratorium possit ubicumque in privatis domibus lapideam tabulam rite consecratam in altaris formam componere, ibique Missam celebrare. Ex *c. Quoniam Episcopi De priv. in 6º.* hoc privilegium habebant Episcopi.

Istis æquiparati sunt S. R. E. Cardinales. Ex cap. *In his De priv.* concessa est eadem facultas nonnullis regularibus. At Conc. Trid. *sess. 22. in decret. De observand. et vitand. in celebr. Miss.* cavet ne Episcopus patiatur quemquam Missam celebrare extra Eccl. in altari portatili. Cum vero in eodem decreto tribuant Patres Episcopo facultatem procedendi etiam contra regulares in iis quæ spectant ad Missæ sacrificium, hinc inferunt DD. per hoc decretum Tridentinum fuisse regularibus sublatum privilegium altaris portatilis concessum iisdem ante Concilium. Episcopus vero potest etiam censuris compellere Regulares hac in re contravenientes. S. Congr. in *Toletana 4. Junii 1672.* At eadem S. Congr. censuit a Tridentino non fuisse derogatum privilegio Episcoporum et Prælatorum Episcopis superiorum. Ex lib. XII. Decretor. pag. 120.

15. Verum ad compescendos abusus qui irreperant Clem. XI. in decreto *diei 15. Dec. 1703* declaravit Episcopis et prælatis his majoribus etiam Cardinalibus nullo modo licere extra domum propriæ habitationis in domibus laicis etiam in propria diœcesi erigere altare, ibique Sacrosanctum Missæ sacrificium celebrare. Cum autem hoc decretum videretur prohibere usum altaris portatilis Episcopis etiam visitantibus diœcesim, vel iter facientibus, hinc Innoc. XIII. in sua Const. *Apostolici Ministerii* et Bened. XIII. cit. Const. declararunt prohibitionem Clem. XI. non esse intelligendam de domibus etiam laicorum in quibus Episcopi forte occasione sacræ visitationis, vel itineris hospitio excipiantur; item quando Episcopi in casibus a jure permissis vel de speciali Sedis Apostolicæ licentia absentes a domo propriæ ordinariæ visitationis, moram faciant in aliena domo per modum similis habitationis, in his etiam casibus licita erit altaris erectio ad effectum prædictæ celebrationis non secus ac in domo propriæ ordinariæ habitationis.

#### TITULUS XLI.

### De celebratione Missarum et Sacramento Eucharistiæ et divinis officiis.

1. Relinquimus partem theologicam de Eucharistia prout est sacramentum, et prout est sacrificium. Pariter partem canonicam de Sacramento Eucharistiæ remittimus ad titulum *De Custodia Eucharistiæ.* Hinc restringimus tituli materiam ad celebrationem Missarum et ad divina officia.

Et quoad primum quærimus 1º loco: Quoties in anno teneatur sacerdos Missam celebrare. In *c. 9. h. t.* Innocentius pœna suspensionis plectit eos qui vix quater in anno celebrant. Hinc DD. inferunt esse præceptum ut saltem quater in anno celebret Sacerdos, seu die Nativitatis et die Resurrectionis et Epiphaniæ Domini nec non die Pentecostes. Qua in re animadvertendum est Cajetanum Cardinalem in Comm. ad S. Thomam docuisse hoc præceptum de Missæ celebratione quater saltem in anno esse sub levi, Sanctum vero Pium V. jussisse expungi hanc opinionem ab illis commentariis. Hinc opinio hæc teneri non potest. Conc. vero Trid. *c. 14. sess. 23. De Ref.* Episcopo intimat ut curet ut sacerdotes saltem diebus dominicis et festis solemnioribus, si autem parochi sint, tam frequenter ut muneri suo satisfaciant, missas celebrent. Certe sacerdotium non est simplex honor dignitatis et potestatis favor sed etiam est onus, et officium juxta illud Pauli ad Hebr.: 'Omnis Pontifex ex hominibus assumptus pro hominibus constituitur etc. ut offerat sacrificia pro peccatis'. Tenetur ergo Missam celebrare presbyter et Episcopus curare debet ut presbyter hoc officium adimpleat. Ajunt vero DD. hanc curam Episcopi non actum sed habitum respicere, scilicet providebit Episcopus, ne habitualiter sacerdotes omittant celebrationem Missæ contra mentem Tridentinorum Patrum expressam in *c. 14. sess. 23. De Ref.*

2. Animadvertendum est hanc curam non posse Episcopum exercere adhibitis pœnis et censuris. Non expedit enim timore pœnarum adigere clericum ad Missam celebrandam. Hinc cum quæreretur a S. Congr. Concilii 'An hoc (munus curandi etc.) Episcopus facere debeat solis adhortationibus et admonitionibus, an vero possit monere sub pœnis et censuris ut legitime non impediti debeant celebrare', *die 25. Febr. 1617* censuit non posse et *c. 14. sess. 23. Giral. comm. ad c. 1. h. t.*

3. Quæritur an Sacerdos possit eadem die pluries Missæ sacrificium offerre? Ante ætatem Alex. II. scilicet ante medietatem sæc. XI. lege speciali interdicta non erat iterata missæ celebratio in eadem die. At ad comprimendam avaritiam Sacerdotum plurimorum, qui simoniace ordinati missas quotidie lucri captandi causa ingeminabant, canonem edidit Alex. II. qui refertur sub *n. 32. De cons. dist. 1.* in quo statuit pro lege generali unam dumtaxat celebrandam esse Missam a Sacerdote qualibet die. Hanc legem renovarunt Innoc. III. in *c. 3. h. t.* et Honorius III. ejus successor

in *c. 12. h. t.* In quibus capp. animadvertimus adhiberi vocem *sufficit* vel *sufficiat* unam missam celebrare, sed ex sensu capituli apparere hoc verbum exprimere prohibitionem, ne plures missæ celebrentur.

4. At ex antiquissima consuetudine et ex *c. 3. h. t.* excipitur dies Nativitatis Domini in qua die in Ecclesia Latina tres missas licet celebrare. Glos. in *c. 3.* rationem adsignat. Sciendum insuper est sacerdotes hac triplici celebratione posse tribus obligationibus satisfacere *S. Congr. Conc. Nullius 18. Apr. 1654. lib. 19. Decr. p. 3336.* Si dies Nativitatis Domini excipitur valet adhuc lex generalis prohibens pluries ab eodem Sacerdote in die Missas celebrari; nisi adsit *privilegium vel necessitas.* Et quoad privilegium scimus in regno Aragoniæ, seu in ipsa Aragonia et in ditionibus Valentiae, Catalaniæ et Majoricæ disciplinam viguisse, ut in die commemorationis omnium fidelium defunctorum sacerdotes Regulares tres missas possent celebrare, sæculares vero duas. Acceptis precibus a regibus Hispaniarum et Lusitaniæ rebusque mature perpensis Ben. XIV. in Const. *Quod expensis diei 21. Aug. 1748* concessit omnibus sacerdotibus sive sæcularibus sive regularibus regnorum Hispaniarum et Lusitaniæ privilegium celebrandi tres missas in die commemorationis omnium fidelium defunctorum. Ad removendam vero omnis avaritiæ maculam nihil innovans circa consuetudinem Regni Aragoniæ recipiendi duas vel tres eleemosynas, statuit Pontifex ut in aliis regionibus in quibus privilegium trinæ celebrationis concedebat, præter unius Missæ eleemosynam nil aliud sacerdotes pro aliis duabus missis perciperent, nec possent duas alias missas applicare in satisfactionem oneris antea assumpti. Quoad vero sacerdotes qui in Regno Aragoniæ duas tantum missas poterant celebrare, et ob novum indultum præsentis Constitutionis tertiam possunt Missam celebrare; Pontifex vetat ne pro hac tertia missa eleemosynam recipiant.

5. Alia exceptio est *necessitas* de qua in cit. locis juris *Can. 33. de Cons. dist. 1. c. 3. h. t.* Antiquitus plures necessitates admittebantur. At hodie post Epistolam Benedicti XIV. ad Episcopum *Oscensem 16. Martii 1746* unicus casus necessitatis admittitur, nempe quando unus presbyter ministrat seu præest duabus Ecclesiis inter se valde dissitis, nec alius est sacerdos, qui in alterutra Ecclesia celebret Missam. Quo in casu binationis post primam Missam Sacerdos debet jejunium servare. Cessante vero necessi-

tate cessat in Parocho hujusmodi facultas binas Missas celebrandi. Quamvis hæc facultas a jure communi concessa sit ac proinde proprie dicta dispensatio Episcopi non requiratur, tamen necesse est ut Episcopus rem cognoscat et veniam præbeat. Ipse enim est verus Judex necessitatis. Ita Bened. XIV. in cit. *Epistola ad Ep. Oscensem § Qui quoque.*

6. Quid vero dicendum de stipendio secundæ Missæ celebratæ in casu necessitatis? Si duplex est distincta parochia ita ut earum unio sit æque principalis, parochus utramque Missam debet pro populo applicare. Si distinctæ non sint parochiæ, et unio sit tituli extinctiva quæstio soluta non est. At ex mente Canonum videtur non posse recipi eleemosynam pro secunda Missa.

Animadvertimus tandem non semper verificari conditiones veræ et proprie dictæ necessitatis sed utique habere potest locum dubia vel aliqualis necessitas. Ut possint Episcopi in hoc casu dispensationem concedere binationis Missæ in eadem die obtineant necesse est indultum ab Apostolica Sede. Cum enim sit dispensatio a jure communi excedit facultates episcopales.

7. Ad materiam tituli potest etiam referri quæstio de reductione onerum Missarum. Super hac re adest dispositio Conc. Trid. in *c. 18. sess. 25. De Ref.* Accessit decretum S. Congr. Concilii auctoritate Urbani VIII. vulgatum quodque refertur a Reiffenstuel in *tit. præf. n. 30.* In hoc decreto præsertim constituitur non posse Episcopum nec in diocæsana Synodo, aut superiores regulares in capitulis generalibus reducere onera Missarum, quamvis reditus tenues sint, et stipendia sint incongrua pro singulis missis, sed reductionem expetendam esse ab Apostolica Sede. Prohibet pariter decretum ad damnabile lucrum removendum, ne presbyter qui pro celebratione Missæ eleemosynam accipit, Missam faciat ab altero celebrare, retenta sibi parte eleemosynæ. Hæc prohibitio intelligi non debet de beneficiario, qui ex lege foundationis non impediatur quominus per alium possit celebrationi Missarum satisfacere. Hic enim potest sibi retinere quod superest tradita prius celebranti sacerdoti congrua eleemosyna.

#### De officio divino.

8. Nomine divini officii veniunt horæ canonicæ. Recitatio officii in Ecclesia latina pro clericis majoribus et beneficium ecclesiasticum possidentibus est de præcepto in *c. 9. h. t.* ubi Innoc. III.

præcipit in virtute sanctæ obedientiæ ut divinum officium nocturnum pariter et diurnum quantum eis Deus dederit, studiose celebrent pariter et devote. De publica et solemnitate divini officii egimus in tit. *De Clericis non residentibus*. S. Pius V. in Const. *Ex proximo* 12. Kal. Oct. 1571 statuit ut quicumque beneficium ecclesiasticum obtinuit, si post sex menses a consecutione beneficii legitimo impedimento cessante officium divinum non dixerit fructus beneficii amittat pro rata temporis omissionis officii.

9. Cum recitatio officii divini pertineat ad cultum publicum hinc determinatio horarum et forma specifica hujus orationis pendet tota ab ecclesiastica constitutione. Antiquitus Ordinarius loci moderabatur recitationem officii. Hinc ortæ sunt diversæ normæ diversæque formæ hujus publicæ orationis. At ad uniformitatem inducendam, necnon ad removendum periculum, ne hæretici in publicis orationibus errores suos introducerent, approbatio divini officii ad Apostolicam Sedem reservata est; quæ in novis proponendis officiis particularibus solet absolute præcipere ut in illa forma recitentur, et quandoque adjicit etiam clausulam non valere recitationem secus factam.

## TITULUS XLII.

## De baptismo ejusque effectu.

1. Cætera relinquentes theologis pertractanda, duas tantum expendimus quæstiones 1<sup>o</sup>. de baptismo dubio; 2<sup>o</sup>. de loco collationis baptismatis. Ad 1<sup>m</sup> si dubium fuerit an aliquis fuerit necne baptizatus ait Alex. III. in c. 2. h. t. baptizandus est sub conditione 'Si baptizatus es non te baptizo, sed si nondum baptizatus es, ego te baptizo'.

Dubium debet esse prudens seu probabile quale non esset si ageretur de puero nato a christianis parentibus, et inter christianos conversato, donec evidentissimis argumentis probaretur contrarium c. 3. h. t. Ad probandam collationem baptismatis satis est fides unius testis quando tamen non fiat præjudicium alicui *can. 112. dist. 4. De Consecr.* Si de expositis sermo sit, sunt sub conditione baptizandi licet schedam de collato baptismo collo ligatam habeant nisi scheda hæc veram faciat certitudinem. Ita in causa Urbis censuit S. Congr. die 18. Dec. 1723. Quare non sufficiunt conjecturæ ex rudimentis fidei quæ quis cognoscit S. Congr. in *Ripana*

12. Dec. 1733. Tandem baptizandus est sub conditione infans qui non in capite sed in aliqua parte corporis fuit baptizatus. Ita *Rituale jussu Pauli V. editum § De baptizandis parvulis.*

2. Relate ad locum habemus *cap. un. in Clem. h. t.* in quo præcipitur ut baptismus conferatur in Ecclesia in qua fons baptismalis reperitur, et solum excipitur 1<sup>o</sup>. baptismus filiorum regum et principum, et 2<sup>o</sup>. baptismus necessitatis, quo in utroque casu potest etiam privatis in domibus conferri baptismus. Ex Glossa loc. cit. nomine *principum* veniunt Barones loci. Ex eadem Glossa in verb. *Periculo eod. c. un. Clem. h. t.* baptismus administratur in privatis domibus non solum ubi periclitetur vita infantis, sed etiam ubi periculum vitæ urget ipsos qui deferre deberent ad Ecclesiam infantem.

## TITULUS XLIII.

## De presbytero non baptizato.

1. Duplex quæstio proponitur in titulo. 1<sup>o</sup>. An presbyterum non baptizatum juvent Sacramenta, quæ recipit. In c. 2. h. t. agitur de quodam, qui non baptizatus, cum esset in opinione recepti baptismatis sacerdos ordinatus est, et deinde ex hac vita decessit. Cum dubitaretur an pro illo preces fundi possent, respondet Innocent. III. posse utique quia si non recepit sacramentum fidei, recepit tamen fidem Sacramenti. Igitur quoad salutem æternam presbytero non baptizato profuerant Sacramenta suscepta. At quid de Sacramento ordinis? In *capp. 1. et 3. h. t.* traditur presbyterum non baptizatum esse ordinandum. Ergo characterem sacræ ordinationis non recepit in priori ordinatione ante baptismum.

2. 2<sup>a</sup> Quæstio est, an aliis prosint Sacramenta quæ presbyter non baptizatus confert, et magis generaliter quid dicendum de iis, quæ ipse peragit ceu sacer minister?

Si sermo sit de actibus qui ordinis characterem non supponunt valide et legitime eos conficit. Hinc valide baptizat et quidem etiam licite si versatur in bona fide. Pariter si sermo sit de actibus meræ jurisdictionis, cum adsit titulus coloratus et error communis, eos etiam perficit valide. Si sermo sit de actibus, qui procedunt prorsus ex characterem sacræ ordinationis eos valide non perficit quemadmodum etiam invalidi sunt actus qui procedunt simul ex virtute characteris seu ex virtute ordinis et ex jurisdictione.

At ex doctrina divi Thomæ in 4. dist. 24. pie credi potest quod summus sacerdos suppleat quantum ad ultimos effectus sacramentorum, saltem juxta desiderium et voluntatem fidelium Sacramenta suscipientium.

3. Quid vero de Matrimonio, cui presbyter non baptizatus assistit? Receptum nunc communiter est parochum non uti ministrum assistere, sed uti testem qualificatum; unde valet matrimonium, licet parochus assistat invitus et excommunicatus. Hinc DD. communiter inferunt matrimonium hujusmodi valere. Nam ut testis qualificatus sit, sufficit titulus coloratus et communis aestimatio, seu error communis.

## TITULUS XLIV.

## De custodia Eucharistiæ, chrismatis et aliorum sacramentorum.

1. In c. 1. præcipitur ut in Ecclesiis fideliter, adhibitis clavis Eucharistia custodiatur. Confirmatur ex c. 6. sess. 13. De Ref. in Tridentino. Contra incaute custodientes Innocent. in c. 1. h. t. comminatur pœnam suspensionis trium mensium; sub simili diligentia et pœna præcipitur custodia S. Chrismatis. Ex lege generali in Trid. c. 8. sess. 21. De Ref. Episcopus est vindex hujus custodiæ, qui potest etiam punire regulares et alios exemptos in hac custodia delinquentes ex resolutione S. Congr. EE. et RR. diei 8. Jan. 1724 approbata ab Innoc. XIII. Qui insuper regulares in suis Ecclesiis non possunt SS. Eucharistiæ Sacramentum exponere nisi ex publica causa ab Episcopo probata: ex causa autem privata possunt sed dummodo non extrahatur a tabernaculo.

2. Lex quæ in c. 1. h. t. est de custodia Eucharistiæ et S. Chrismatis in omnibus Ecclesiis tangit solum Ecclesias parochiales. In aliis ecclesiis sæcularibus non parochialibus permanentemente et ordinarie asservari nequit absque Sedis Apostolicæ beneplacito. S. Congregatio Concilii in Cajacen. 12. Jan. 1630. Excipitur nisi habeatur consuetudo immemorialis. Ita S. Congregatio Concilii die 27. Apr. 1709. Asservari etiam potest permanentemente in Cathedrali Ecclesia extra tamen altare majus. S. Congreg. EE. in Lucensi diei 10. Febr. 1579. Pariter ex c. X. sess. 25. De Reg. in Trid. potest permanentemente asservari Eucharistia in Ecclesiis monialium non tamen infra chorum. Ad tempus potest in Ecclesiis non parochialibus asservari Eucharistia ex Episcopi licentia.

Ex Constitutione Innoc. IV. Sub Catholice, 6. Martii 1254 et Clementis VIII. Sanctissimus, 31. Aug. 1595 S. Eucharistia a Græcis renovanda est singulis octo vel quindecim diebus a Latinis vero differenda non est renovatio ad quindecim dies sed quolibet octiduo, vel die dominica, vel feria quinta. S. Congreg. EE. in Raven. 8. Apr. 1573.

## TITULUS XLV.

## De reliquiis et veneratione Sanctorum.

1. Priscis Ecclesiæ temporibus usque ad Alex. III. Episcopus in sua diœcesi expensis virtutibus et miraculis factis intercessione alicujus vita functi, eidem publicum cultum tribuebat in sua diœcesi, et patronum cœlestem declarabat fidelium suorum; scilicet ei honores beatificationis concedebat. At vero solemnitas canonizatio, qua præcipitur, ut cultus publicus tribuatur alicui sancto homini in universa Ecclesia, fuit semper causa major, et vel Concilio generali reservata juxta responsa Urbani II. et Callisti II. vel reservata Romano Pontifici ceu patet ex gestis Benedicti VIII. et Benedicti IX. Conf. Benedicti XIV. De Servor. Dei Beatif. et Canoniz. t. 1. c. lib. 1. c. 10.

2. At in c. 1. h. t. Alex. III. prohibuit ne aliquis publica veneratione coleretur ullo modo absque auctoritate Romani Pontificis. Quare etiam beatificatio servorum Dei facta est causa major Romano Pontifici reservata. Accesserunt decreta Urbani VIII. relata in ejus Const. Sanctissimus 13. Martii 1635 et in alia Const. Cœlestis Urbs Hierusalem. 5. Julii 1634.

3. De reliquiis sanctorum habemus c. 2. h. t. in quo præsertim tria prohibentur 1º. ne exponantur venales, scilicet ne exponantur quæstus causa. Consonat Tridentinum in decreto de invocatione vener. et reliq. Sanctor. sess. 25. In hoc decreto præcipit ut omnis quæstus turpis eliminetur. Hinc nec vendi nec emi possunt servorum Dei reliquiæ. Exceptio fit nisi redimi debeant e manibus infidelium vel hæreticorum. Thesaurus De pœnis eccl. verbo reliquiæ c. 1.

4. Præcipit 2º loco caput 2. ne reliquias de novo inventas aliquis venerari præsumat absque prævia probatione Apostolicæ Sedis. At in cit. loco Tridentini Episcopo tribuitur facultas novas reliquias probandi. Quæ probatio Episcopi requiritur etiam si reli-